

Értekezések a nyelv- és széptudományok köréből.

I. k. I. Tólfy: Solon adótörvényéről. 20 f. — **II. Tólfy**: Adalékok az attikai törvénykönyvhöz. 20 f. — **III. Tárkányi**: A legujabb magyar Szentíásról. 40 f. — **IV. Szász K.**: A Nibelungének keletkezéséről és gyanitható szerzőjéről. 20 f. — **V. Toldy F.**: Tudománybeli hátramaradásunk okai, s ezek tekintetéből Akadémiának feladata. 20 f. — **VI. Vambery**: A keleti török nyelvről. 20 f. — **VII. Imre S.**: Geleji Katona István főleg mint nyelvész. 60 f. — **VIII. Bartalus**: A magyar egy házak szertartásos énekei a XVI. és XVII. században. Hangjegyekkel. 1 K 20 f. — **IX. Toldy**: Adalékok a rögbő magyar irodalom történetéhez. 1 K 20 f. — **X. Brassai**: A magyar bővített mondát. 40 f. — **XI. Bartalus I.**: A felsőaustriai kolostoroknak Magyarországot illőt kéziratai és nyomtatványairól. 40 f. (1867—1869.) **II. k. I. Mátray G.**: A Konstantinápolyból legujabban érkezett négy Corvin-codexről. 20 f. — **II. Szász K.**: A tragikai fejfogásról. 40 f. — **III. Joannovics**: Adalékok a magyar szűnikutás kérdéséhez. 40 f. — **IV. Finály**: Adalékok a magyar rokonértalmú szók értelmezéséhez. 40 f. — **V. Tólfy**: Solomos Dénes költeményei és a hétszigeti görög népnyelv. 40 f. — **VI. Zichy A.**: Q. Horatius satírái. 40 f. — **VII. Toldy**: Ujabb adalékok a régbő magyar irodalom történetéhez. 80 f. — **VIII. Gr. Kuun G.**: A sémi maganhangzókról és megjelölésük módjairól. 40 f. — **IX. Szilády**: Magyar szófejezetek 20 f. — **X. Szénássy S.**: A latin nyelv és dialekthusai. 60 f. — **XI. Szilády Áron**: A defterekről. 40 f. — **XII. Szvorený J.**: Emlékbeszéd Árvay Gergely felett. 20 f. (1869—1872.) — **III. k. I. Brassai**: Commentator commentatus, Tarlózatok Horatius satíráinak magyarázói után. 80 f. — **II. Szabó K.**: Apáczai Cséri János Barcsai Ákos fejedelemhez bevonult tárva a magyar hazában felállítandó első tudományos egyetem ügyében. 20 f. — **III. Szabó I.**: Emlékbeszéd Bitnitz Lajos felett. 20 f. — **IV. Vaidnai**: Az első magyar társadalomi regény. 40 f. — **V. Finály**: Emlékbeszéd Engel József felett. 20 f. — **VI. Barna F.**: A finn költészetről, tekintettel a magyar ősköltészetre. 80 f. — **VII. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Schleicher agost, külön l. tag felett. 20 f. — **VIII. Dr. Goldscheher I.**: A nemzetiségi kérdés az araboknál. 60 f. — **IX. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Grimm Jakab felett. 20 f. — **X. Gr. Kuun G.**: Adalékok Krim történetéhez. 40 f. — **XI. Riedl Sz.**: Van-e elfogadható alapja az ik-es igék külön ragozásának. 40 f. (1872—1873.) **IV. k. I. Brassai**: Parasitopomena kai diorthoumena. A mit nem mondta a mitrosszul mondták a commentatorok Virgilius Aeneise II-ik könyvről különös tekintettel a magyarrá. 80 f. — **II. Bálint G.**: Jelentése Oroszország- és Ázsiaban tett utazásáról és nyelvészeti tanulmányairól. 40 f. — **III. Bartali A.**: A classica philologiának és az összehasonlító nyelvtudománynak mivelése hazánkban. 80 f. — **IV. Barna F.**: A határozott és határozatlan mondatról. 40 f. — **V. Dr. Goldscheher I.**: Jelentés a m. t. Akadémia könyvtára számára keletről hozott könyvekről, tekintettel a nyomdai viszonyokra keleten. 40 f. — **VI. Hunfalvy P.**: Jelentések: I. Az orientalistáknak Londonban tartott nemzetközi gyűlésről. — II. Budenz J.: A németországi philologok és tanférfiak 1874-ben Innsbruckban tartott gyűlésről. 30 f. — **VII. Fogarasi J.**: Az új szókról. 30 f. — **VIII. Toldy F.**: Az új magyar orthologia. 30 f. — **IX. Barna F.**: Az ikes igékrol. 30 f. — **X. Szarvas G.**: A nyelvnyitásról. 30 f. (1873—1875.) — **V. k. I. Barna F.**: Nyelvészkezdő hajlamok a magyar népnél. 50 f. — **II. Brassai S.**: A neo- és paleólogia ügyében. 60 f. — **III. Barna F.**: A hangsúlyról a magyar nyelvben. 60 f. — **IV. Ballagi M.**: Brassai és a nyelvnyitás. 30 f. — **V. Szász K.**: Emlékbeszéd Kriza János l. t. felettes. 50 f. — **VI. Bartalus I.**: Művészet és nemzetiség. 40 f. — **VII. Tólfy I.**: Aeschylus. 1 K 60 f. — **VIII. Barna F.**: A mutató névmű libás használata. 20 f. — **IX. Imre S.**: Nyelvtörténeti tanulások a nyelvnyitásra nézve. 1 K 20 f. — **X. Arany L.**: Bérezy Károly emlékezete. (1875—1876.) — **VI. k. I. Mayr A.**: A lágy aspiraták kiejtéséről a zeneiben. 20 f. — **II. Balint G.**: A mandusuk szertartásos könyve. 20 f. — **III. Dr. Barna I.**: A rómaiak satírájáról és satírásrókról. 40 f. — **IV. Dr. Goldscheher I.**: A spanyolországi arabok helye az iszlám fejlődése történetében összehasonlítva a keleti arabokkal. 1 K. — **V. Szász K.**: Emlékbeszéd Jakab István l. t. felettes. 20 f. — **VI. Adalékok a m. t. Akadémia megszüntetés történetéhez. I. Szilágyi I. II. Vassary K. III. Révész I. 1 K 20 f.** — **VII. Bartalus**: Emlékbeszéd Mátray Gábor l. t. felettes. 20 f. — **VIII. Barna**: A mordvaiak történelmi viszontagságai. 40 f. — **IX. Tólfy**: Eranos. 40 f. — **X. Joannovics**: Az ik-es igékrol. 80 f. (1876.) — **VII. k. I. Barna F.**: Egy skávazat a nyelvnyitás ügyében. 1 K. — **II. Budenz J.**: Podhorszky Lajos magyar-simai nyelvhasonlítása. 20 f. — **III. Zichy A.**: Lessing. 40 f. — **IV. Barna F.**: Károcsolat a magyar és angol nyelvben. 20 f.

P. VERGILII MARONIS

CATALEPTON

EDIDIT ADNOTATIONIBUSQUE EXEGETICIS INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.

die 2 Juniarii a. 1911. recitata

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIE LITTERARUM HUNGARICÆ

MCMXI.

P. Vergilii Maronis Catalepton.

I.

De qua sœpe tibi, venit; sed, Tucca, videre
Non licet: oculitur limine clausa viri.

De qua sœpe tibi, non venit adhuc mihi; namque
Si oculitur, longe est, tangere quod nequeas.

5 Venerit, audivi. Sed iam mihi nuntius iste
Quid prodest? Illi dicite, cui redit.

II.

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor iamque, quatenus totus
Thucydides, tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallium, min et sphinx et — male illi sit —
5 Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

III.

Aspice quem valido subnixum gloria regno
Altius et cœli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
Hie Asiae reges fregerat, hie populos,
5 Hie grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat:
Cetera namque viri cuspide conciderant,
Cum subito in medio rerum certamine præceps
Corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deæ numen, tali mortalia nutu
10 Fallax momento temporis hora dedit.



IV.

Quocunque ire ferunt variae nos tempora vitae,
 Tangere quas terras quosque videre homines,
 Dispeream, si te fuerit mihi carior alter:
 Alter enim qui te dulcior esse potest?
 Cui iuveni ante alios divi divumque sorores
 Cuneta neque indigno, Musa, dedere bona,
 Cuneta, quibus gaudet Phœbi chorus ipseque Phœbus.
 Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
 O quis te in terris loquitur iucundior uno?
 Clio nam certe candida non loquitur.
 Quare illud satis est, si te permittis amari,
 Nam contra ut sit amor mutuus, unde mihi?

V.

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullæ,
 Inflata more non Achaico verba,
 Et vos, Seliique Tarquitique Varroque,
 Scholasticorum natio madens pingui,
 Ite hinc, inane cymbalon iuuentutis.
 Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
 Vale, Sabine: iam valete, formosi,
 Nos ad beatos vela mittimus portus
 Magni petentes docta dicta Sironis
 Vitamque ab omni vindicabimus cura.
 Ite hinc, Camenæ: vos quoque ite iam sane,
 Dulces Camenæ (nam fatebimur verum,
 Dulces fuistis): et tamen meas chartas
 Revisitote, sed pudenter et raro,

VI.

Socer, beate nec tibi nec alteri,
 Generque Noctuine, putidum caput,
 Tuque nunc puella talis et tuo
 Stupore pressa rus abibit. Ei mihi,

5 Ut ille versus usquequaque pertinet:
 «Gener sacerque, perdidistis omnia.»

VII.

Seilieet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
 «Dispeream, nisi me perdidit iste putus.»
 Sin autem præcepta vetant me dicere, sane
 Non dicam, sed: «Me perdidit iste puer.»

VIII.

Villula, quæ Sironis eras, et pauper agelle,
 Verum illi domino tu quoque divitiæ,
 Me tibi et hos una tecum, quos semper amavi.
 Si quid de patria tristius audiero,
 5 Commendo imprimisque patrem: tu nunc eris illi,
 Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

IX.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
 Pauca mihi doctæ dicitæ Pegasides.
 Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.
 Victor, qua terræ quoque patent maria,
 Horrida barbaricæ portans insignia pugnae,
 Magnus ut Alcides utque superbis Eryx;
 Nec minus idcirco vestros expromere cantus
 Maximus et sanctos dignus inire choros.
 Hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis.
 Quid de te possim scribere quidve tibi,
 Namque (fatebor enim) quæ maxima deterrendi
 Debuit, hortandi maxima causa fuit.
 Pauca tua in nostras venerant carmina chartas.
 Carmina eum lingua, tum sale Cecropio.
 15 Carmina, quæ vivent seclis accepta futuris,
 Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.

Molliter hic viridi patulae sub tegmine quereus
 Mœris pastores et Melibœus erant,
 Dulcia iactantes alterno carmina versu,
 20 Qualia Trinacriae doctus amat invenis.
 Certatim ornabant omnes heroida divi,
 Certatim divæ munere queque suo.
 Felicem ante alias o te scriptore pueram!
 Altera non fama vixerit ulla prior:
 25 Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset.
 Quæ volucrem cursu vicebat Hippomenen;
 Candida eyneo non edita Tyndaris ovo,
 Non supero fulgens Cassiopea polo,
 Non defensa diu multo certamine equorum.
 30 Optabant Graiae quam sibi quæque manus,
 Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit,
 Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
 Regia non Semele, non Inachis Aerisione,
 Immitem experte fulmine et imbre lovem;
 35 Non eius ob raptum pulsi liquere penates
 Tarquinii patrios, filius atque pater,
 Illo quo primum dominatus Roma superbos
 Mutavit placidis tempore consulibus.
 Multa neque immeritis donavit præmia alumnis;
 40 Præmia Messallis maxima Publicolis.

Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
 Horrida quid duræ tempora militie?
 Castra foro toties, urbi præponere castra,
 Tam procul hoc gnato, tam procul hac patria?
 45 Immoderata pati iam frigora iamque calores?
 Sternere vel dura posse super silice?
 Sæpe trucem adverso perlabi sidere pontum?
 Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem?
 Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes
 50 Communem belli nec meminisse deum?
 Nunc celeres Afros, periure milia gentis,
 Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?

Nunc aliam ex alia bellando querere gentem
 Vincere et Oceani finibus ulterius?
 Non nostrum est tantas, non, inquam, attingere laudes,
 55 Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
 Ipsæ hæc se, ipsa ferent rerum monumenta per orbem.
 Ipsa sibi egregium facta decus parient.
 Nos ea, quæ tecum fixerunt carmina divi,
 60 Cynthius et Musæ, Bacchus et Aglaie,
 Si laude æquiperare humili, Messalla, Camena,
 Si patrio Graios carmine adire sales
 Possumus, optatis plus iam proeedimus ipsis.
 Hoc satis est; pingui nil mihi cum populo.

X.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
 Ait fuisse mulio celerrimus.
 Neque ullius volantis impetum cisi
 Nequissime præterire, sive Mantuam
 5 Opus foret volare sive Brixiam.
 Et hoc negat Tryphonis æmuli domum
 Negare nobilem insulamve Cœruli,
 Ubi iste pos: Sabinus, ante Quintio
 Bidente dicit attodisse forcipe
 10 Comata colla, ne Cytorio rugo
 Premente dura vulnus ederet iuba.
 Cremona frigida et lutosa Gallia.
 Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
 Ait Sabinus: ultima ex origine
 15 Tua stetisse dicit in voragine,
 Tua in palude deposisse sarcinas
 Et inde tot per orbitosa milia
 Iugum tulisse, læva sive dextera
 Strigare mula sive utrumque cœperat
 20
 Neque ulla vota semitalibus deis
 Sibi esse facta præter hoc novissimum,
 Paterna lora proximumque pectinem.

- Sed hæc prius fuere: nunc eburnea
 25 Sedetque sede seque dedicat tibi,
 Gemelle Castor et gemelle Castoris.

XL.

- Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? An quæ
 Dicunt, a, nimio pocula dura mero?
 • Vobisum, si est culpa, bibi; sua quemque sequuntur
 Fata: quid immeriti crimen habent eyathi?
 5 Scripta quidem tua nos multum mirabimur et te
 Raptum et Romanam flebimus historiam.
 Sed tu nullus eris. Perversi dicite Manes,
 Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

XII.

- Superbe Noctuine, putidum caput,
 Datur tibi puelia, quam petis, datur;
 Datur, superbe Noctuine, quam petis.
 Sed, o superbe Noctuine, non vides
 5 Duas habere filias Atilium,
 Duas, et hanc et alteram tibi dari?
 Adeste nunc, adeste: dicit, ut decet,
 Superbus ecce Noctuinus herniam.
 Talassio, Talassio, Talassio!

XIII.

- Iacere me, quod alta non possim, putas,
 Ut ante, vectari freta
 Nec ferre durum frigus aut æstum pati
 Neque armæ victoris sequi.
 5 Valent, valent mihi ira et antiquus furor
 Et lingua, qua par sim tibi.
 Per prostitutæ turpe contubernium
 Sororis, o quid me incitas?

- Quid, impudice et improbande Cæsari,
 10 Seu furtæ dicantur tua
 Et helluato sera patrimonio
 In fratre parsimonia
 Vel acta puero cum viris convivia
 Udaque per somnum nates
 15 Et inscio repente clamatum super:
 Talassio, Talassio!
 Quid palluisti, femina? An ioci dolent?
 An facta cognoscis tua?
 Non me vocabis spurca per Cotytia
 20 Ad feriatos fascinos,
 Nec te mouere lumbulum in ericotula
 Prensis videbo altaribus
 Flavumque propter Thybrim olentes nauticos
 Vocare, ubi adpulsæ rates
 25 Stant in vadis cæno retentæ sordido.
 Macraque luctantes aqua:
 Neque in culinam et uncta compitalia
 Dapesque duces sordidas,
 Quibus repletus ut salivosis labris
 30 Obesam ad uxorem redis,
 Exstuantis dente solvis panties
 Spissisque lambis savii.
 Nunc hede, nunc lacesse, si quicquam vales!
 Et nomen adscribo tuum:
 35 Cinæde Lucci, iam tuae liquere opes
 Fameque genuini crepant.
 Videbo habentem præter ignavos nihil
 Fratres et iratum Iovem
 Scissumque ventrem et hirneosi patrui
 40 Pedes inedia turgidos.

XIV.

- Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
 O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,

Trojus Aeneas Romana per oppida dingo
 Iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
 Non ego ture modo et pieta tua templa tabella
 Ornabo et puris sertæ feram manibus:
 Corniger hos aries, humilis, et maxima, taurus,
 Victima sacrato sparget honorē focos
 Marmoreusque tibi, eeu mille coloribus ales,
 In morem pieta stabit Amor pharetra.
 Adsis, o Cytherea: tuus te Cæsar Olympo
 Et Surrentini litoris ara vocat.

ADNOTATIONES.

Epodum¹⁾ Cataleptis Vergili insertum inter commentationes Academie nostræ edidi Horatioque vindicari studui²⁾ iam anno 1908., anno autem præterito edidi ibidem elegiam in Messallam³⁾ Ovidio puero fortasse tribuendam.⁴⁾ Nunc reliqua Cataleptorum carmina, quæ Vergilio iure tribuuntur,⁵⁾ lectoribus doctis offero commentario exægetico instructa.

In verbis poetæ constituendis in usum meum converti præstantissimam editionem Friderici Vollmer in volumine primo *Poetarum Latinorum Minorum* post Aemilium Bæhrens iterum editorum (Lipsiæ, in ædibus B. G. Teubneri anno MCMX.).

I. Ad Tuccam.

Ad Plotium Tuccam, amicum Vergili, qui post mortem eius una cum Vario Aeneidem edidit. Epigramma est amatorii argumenti tribuendumque videtur Vergilio iuveni. Versus antea non intellectos rectissime interpretatus est Birt, quem nos quoque sequimur dueem.

¹⁾ L. e. Catalepton XIII.

²⁾ Cf. *De epodo Horatii Cataleptis Vergili inserto*, Budapestini, sumptibus Academie Litterarum Hungaricæ, MCMVIII.

³⁾ L. e. Catalepton IX.

⁴⁾ Cf. *De Ovidio elegiae in Messallam auctore*, Budapestini, sumptibus Academie Litterarum Hungaricæ, MCMIX.

⁵⁾ Optime de hac re disputavit Theodorus Birt in libello *Jugendeverse und Heimatpoesie Vergils* (Leipzig, Teubner, 1910.) p. 10, sqq. Ibidem (p. 10.) rectissime dicit: «In diesem Sinne habe ich den nachfolgenden Kommentar zu schreiben versucht, der nichts sein will als eine Aufforderung zur Mitarbeit und eventuell zum motivierten Widerspruch.»

V. 1—6. *De qua saepe tibi*, i. e. mulier a me amata, de qua saepe tibi dixi, de qua saepe tecum locutus sum. Huius ellipsis exempla collegit *Birt*: Cic. Ad Att. XV. 17, 2: «de quo mirabilia Messalla»; ibid. XVI. 13: «tu mihi de istis rebus»; ibid. XVI. 1: «Deverti ad illum, de quo tecum mane.» — *venit*, advenit, i. e. rediit ex itinere aliquo in domum viri, ut ex *rediit* (infra vs. 6.) elucet. — *videre Non licet: occultitur limine clausa viri*, cf. Tibull. II. 3. 77—78: «Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi, Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?» — *occultitur*, consulto se occultare videtur; non vult enim Vergilio copiam sui facere. — *non venit adhuc mihi*, mihi non venit, nam huc usque eam videre non potui. Cf. Tibull. I. 9, 43, (de puella): «Sæpe insperanti venit tibi munere nostro.» — *tangere quod nequeas*, hoc loco *quod* est coniunctio causalis: *quia*. *Birt* rectissime confert Terent. Eun. 638: «quid? nil? si non *tangendi* copia est, eho ne *videndi* quidem erit». — *Venerit, audivi*, per me venerit licet, credo, nam audivi. — *illi dicite cui rediit*, poeta putat puellam non sui, sed alterius amatoris gratia ex itinere redisse. — *cui*, emendavit Heyne: codices: *qui*.

II. In T. Annium Cimbrum.

Teste Quintiliano (Inst. Or. VIII. 3, 28.) scriptum est hoc epigramma in T. Annium Cimbrum rhetorem, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis facete dicto notatum est (anno a. Chr. n. 43.) Phil. XI. 6. 14: «Germanum (i. e. germanum fratrem) Cimber occidit.» Præturam quoque gessit teste Cic. Phil. XIII. 12, 26. Epigramma scriptum videtur paulo post mortem suspectam fratri eius.

V. 1—3. *Corinthiorum amator... verborum*, T. Annius Cimber rhetor, qui obsoletis verbis in orationibus libentissime utebatur; cf. Suet. Aug. 86. (Augusti epistula ad Antonium): «Tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi, ita ut verbis, quæ Crispus Sallustius excerptis ex Originibus Catonis, utaris?» — *Corinthiorum... verborum*, antiquorum, ut vasa Corinthia, quorum tunc temporis multi erant amatores. Strab. p. 381. commemorat *væxpozopivðta*, i. e. vasa Corinthia ex sepuleris Corinthiis effossa. Eodem modo

tamquam e sepuleris effodiebant verba iam pridem mortua Annius Cimber et Sallustius. — *iste iste rhetor*, ut Martial. II. 65, 4: «Illa, illa dives mortua est Secundilla.» — *iamque, quatenus totus Thucydides, tyrannus Atticae febris*, qui iam princeps oratorum Romanorum Atticos imitantum factus est, quia in orationibus alter pene est Thucydides. — *iamque*, ex conjectura Buecheleri: codices habent: *namque*. — *quatenus*, hoc loco coniunctio causalis: *quoniam*; cf. Hor. Sat. I. 1, 63—64: «iubeas miserum esse, libenter Quatenus id facit.» — *totus Thucydides*, Thucydidem adeo docte imitatur, ut alter pene evaserit Thucydides; cf. Catull. 13, 14: «Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.» Vergilius ante oculos habuisse videtur Cic. Orat. 9, 30., ubi magnus ille adversarius oratorum Romanorum Atticos imitantum ita carpit ineptos artis rhetoricae Thucydideæ sectatores: «Ecce autem aliqui se Thucydideos esse profitentur; novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen et qui in forensibus causis potuit præclare consistere. Thucydides autem res gestas et bella narrat et proelia, graviter sane et probe, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum. Ipsæ illæ contiones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intellegantur; quod est in oratione civili vitium vel maximum... Quis porro unquam Græcorum rhetorum a Thucydide quicquam duxit?... Huius (sc. Thucydidis) tamen nemo neque verborum neque sententiarum gravitatem imitatur, sed, cum mutila quædam et hiantia locuti sunt, quæ vel sine magistro facere potuerunt, *germanos* se putant esse *Thucydidas*.» Cf. etiam Cic. De opt. gen. 5. 15: «Sed exorietur Thucydides: eius enim quidam eloquentiam admirantur... Quare si quis erit, qui se Thucydideo genere causas in foro dicturum esse profliteatur, is abhorrebit etiam a suspicione eius, quod versatur in re civili et forensi»; Cic. Brut. 83, 287: «*Thucydidem*, inquit, *imitamur*. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitabis»; Quintil. Inst. Or. X. 2, 17: «Ideoque qui horride et incomposite quamlibet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt; qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet; qui

præcisis conclusionibus obseuri, Sallustium atque *Thucydidem* superant. — *tyrannus Atticae febris*, princeps scholæ rhetoricae Atticæ; eodem modo inter Epicuri successores Apollodoro cognomen fuit *κηποτύραννος*, ut Diog. Laert. X. 24. testatur. — *Atticae febris*, febris Attica sive morbus Atticus est Atticismus oratorum Romanorum, tamquam morbosum et insanum imitandi studium, Græce: Κηλος Ἀττικός. Cf. Cic. Verr. IV. 1. (de studio Verris statuas, picturas et vasa colligendi): «Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, *studium*, ut amici eius, *morbum* et *insaniam*»; Senec. Exc. controv. 3. præf. §. 10: «ut ad meum te morbum (i. e. studium) vocem»; Plaut. Pseud. 643: «scio nunc *febrim* tibi esse, quia» etc. Praeterea alludere videtur Vergilius etiam ad pestilentiam Atticam a Thueydide descriptam.

V. 4—5. *Tau Gallicum*, casu nominativo; appositionis vice fungitur et, ut *rhetor* vs. 2. et *tyrannus* vs. 3., iungendum cum *Corinthiorum amator verborum* vs. 1. Significat autem *tau Gallicum* hominem Gallicum erue dignum, i. e. T. Annium Cimbrum veneficum. *Tau* i. e. erux, i. e. erue dignus est T. Annus, quia fratrem necavit; littera enim *tau* significat crucem, ut Tertull. Adv. Marc. 3, 22. testatur: «*tau signum crucis*» et Lucian. in Iudicio vocabulorum, 12: Κλέουσιν ἀνθρώποι καὶ τὴν αὐτῶν τύχην ὁδόρονται καὶ Κάδμῳ καταράνται πολλάκις, διὸ τὸ ταῦ εἰς τὸ τῶν στοχείων γένος παρίγγαται τῷ γάρ τούτῳ σχήματι φασι τοὺς τοράννους ἀκολουθήσαντας καὶ μηχανέντας αὐτοῦ τὸ πλάσμα, ἔπειτα τοισθιηρὶ ἔδα τεκτήναντας ἀνθρώπους ἀνασκολοπίζειν ἐπ' αὐτά. *Crux* autem translate significat hominem erue dignum, ut Plaut. Pers. 795: «quid ais, *erux*, stimulorum tritor»; eodem modo *gabatus* (i. e. *erux*) hominem gabalo dignum in epigrammate Macrini imperatoris apud Capitol. Macrin. 11, 6. (= Anth. Lat. 801, 2. M.): «Si tales Graium tetulissent fata poetam, Qualis *Latinus gabalus iste* fuit.» — *Gallicum*, videtur igitur Annus Gallice originis fuisse, fortasse Transpadanus, ut Vergilius. — *min et sphinx*, Annus etiam Græce declamabat, ut multi oratores Romani, et in huiuscemodi orationibus utebatur verbis obsoletis et insolitis; exempli gratia Vergilius adfert obsoletas pronominum formas, πιν pro αὐτὸν et σφιν pro σφίσιν vel αὐτοῖς. Ante oculos habuisse videtur Herodiei Babylonii epigramma

(apud Athen. V. p. 222. A.): φέργετ 'Αριστάρχειο... οἵσι μέμηλεν Τὸ σφίν καὶ τὸ σφιν καὶ τὸ πιν ἥδε τὸ νιν τοῦθ' ὅμιν εἴη δυστέμφελον. Cf. etiam Lucilii epigr. Anth. Pal. XI. 142: «Πολλοῦ δεῖ καὶ σφίν... καὶ ταῦτι καὶ πῶν... σκεφάμενος... βῆτωρ ἐπὶ τῇ Κρίτων et Philipp. Anth. Pal. XI. 321: Σονδέσμων λυγρῶν θηρίτορες, οἷς τὸ πιν ἦ σφίν Εὔχεται. — *mo e illi sit*, se. Annio Cimbro; exsecrationis formula in parenthesis. Cf. Catull. 3, 13: «At vobis male sit, male tenebrae» et Cic. Ad Att. XV. 15, 1: «L. Antonio male sit, si quidem Buthrotiis molestus est.» — *Ista omnia, ista verba miscuit fratri*, sc. veneni loco; his verbis venenatis necavit fratrem. Iam Herodieus Babylonius supra ad vs. 4. laudatus vim nocendi tribuit his verbis dicendo: τὸ σφίν... καὶ τὸ πιν... τοῦθ' ὅμιν εἴη δυστέμφελον; Catullus autem et orationes malas et poemata cum venenis comparat carm. 44, 10—14: «Nam, Sestianus dum volo esse conviva, Orationem in Antium petitorem Plenam *veneni* et pestilentie legi. Hinc me gravedo frigida et frequens tussis Quassavit» et carm. 14, 17—20: «Nam, si luxerit, ad librariorum Curram scrienia, Cæsios, Aquinos, Suffenum (i. e. malos poetas), *omnia colligam venena* Ae te his suppliciis remunerabor.» De fratricidio Annii cf. Cic. Phil. XIII. 12, 26: «*Philadelphus Annius*» et ibid. XI. 6, 14: «Lumen ac deus exercitus pene præterii, T. Annium Cimbrum, Lysidice filium, Lysidicum ipsum, quoniam omnia iura dissolvit, nisi forte iure *Germanum Cimber occidit*.» — *Ista omnia, ista*, ut supra vs. 2: «iste iste rhetor.» — *Ista omnia*, ex codice Arundeliano et Rhedigerano; eeteri habent: *Ita omnia*.

III. In imaginem Mithridatis.

In imaginem Mithridatis, non Alexandri Magni, ut Buecheler et Birt censem, qui ob id ipsum vs. 8.: «*pulsus in exilium*» probabiliter explicare non possunt. De tempore scribendi nihil constat.

V. 1—2. *Aspice*, de imagine, ut Ennius apud Cic. Tusc. I. 34: «Adspicie, o cives, senis Enni imaginis formam.» — *valido... regno*, sc. regno Ponti. — *subnixum*, fretum, ut Cic. De orat. I. 58: «qui eius artis arrogantia, quasi difficillima

sit, ita subnixi ambulant. — *Altius et caeli sedibus extulerat,* hyperbola; cf. Horat. Epist. I. 18, 9: «Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo.» — *Altius... extulerat*, ut Verg. Ge. III. 553: «caput altius effert.» — *caeli sedibus*, ut Verg. Aen. X. 3: «sidereum in sedem.»

V. 3—6. *Terrarum hic bello magnum concusserat orbem*, cf. Cie. Pro Mur. 15, 32 (de Mithridate): «qui rex sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli tantum spe conatunque valuit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis confuncturum putaret.» — *Hic reges Asiae fregerat, hic populos*, cf. Cie. Pro Mur. 15, 32 (de Mithridate): «quem L. Sulla maximo et fortissimo exercitu, pugnax et acer et non ruditus imperator, ut aliud nihil dicam, cum bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit.» — *Hic grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat*, cf. Cie. De imp. Pomp. 4, 9: «usque in Hispaniam legatos ac litteras misit (Mithridates) ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos anciipi contentione districti de imperio dimicaretis»; Cie. Pro Mur. XV. 33: «Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu acerrimis dueibus hostium classis *Italianam* spe atque animis inflata petret, mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris?»; Vell. Patrc. II. 18, 1: «cum (Mithridates) terribilis *Italiae* quoque videretur *imminere*.» — *grave servitium*, ut in Ciri Pseudovergiliana vs. 291: «Tam grave servitium, tam duros passa labores.» — *tibi iam, tibi*, emphaticiter iteratum. — *ferebat*, imperfectum de conatu. — *viri cuspede, armis.*

V. 7—10. *in medio rerum certamine*, in certamine de imperio cum Romanis. — *Corruit*, devictus est. — *e patria pulsus in exilium*, Mithridates a Pompeio devictus anno a. Chr. n. 65. in Bosporum Cimmerium configuit ibique de salute desperans a. 63. mortem sibi ipse conceivit. Cf. Cie. Pro Mur. XV. 34: «cuius (sc. Pompei) ex omnibus pugnis, quæ sunt innumera-biles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ cum rege (sc. Mithri-date) commissa est et summa contentione pugnata. Qua ex pugna cum se ille eripuisset et Bosporum configisset, quo exercitus

adire non posset, etiam *in extrema fortuna et fuga nomen* tamen retinuit regium. — *deae numen, sc. deæ Fortune*. — *tali mortalia nutu Fallax momento temporis hora dedit*, i. e. fallax hora momento temporis tali ruina dedit res mortales. — *tali... nutu*, dativus pro *nutui*, ut Verg. Aen. I. 257: «Parce metu.» — *nutu... dedit*, ruinæ dedit, ut Liv. I. 29: «unaque hora quadringentorum annorum opus... excidio atque *ruinis* dedit.» — *nutu*, hoc loco, ut Buecheler rectissime videt, *nutus* mutationem, lapsum, ruinam significat iungendusque cum *corruit* vs. 8.; cf. Senec. Nat. Quæst. VI. 2, 6: «Quid stultius quam timere mutationem aut subitos montium lapsus?»; Cie. Tuse. Disp. I. 17, 48: «terrena et umida suopte *mutu* et suo pon-dere ad pares angulos in terram et in mare feruntur»; Pacat. pan. 26, 1: «*nutus* trutinarum»; Plin. Paneg. 5, 6: «*mutatione* reipublicæ»; Apul. de deo Soqr. 16: «*nutantia fulcire*». — *Fallax momento temporis hora*, cf. Hor. Ep. II. 2, 171 — 174 — «tamquam Sit proprium quicquam, *puncto* quod mobilis *horæ* Permutet dominos et cedat in altera iura.» — *momento* *temporis*, ut Hor. Sat. I. 1, 7—8: «horæ Momento».

IV. Ad Octavium Musam.

Octavius Musa teste Serv. ad Verg. Ecl. 9. 7. et Schol. ad Ecl. 8, 6. civis Mantuanus fuit, ergo municeps *Vergilius* mortem eiusdem scriptum est infra carm. XI, cuius *versus* eum historiæ Romanae seribendæ operam dedisse docemur. Octavius historicus laudatur etiam in *Origine gentis* anonyma XII. 2. et XIX. 5. Eundem fortasse Octavius optimos carminum suorum indices commemorat Hor. 10, 82: «Plotius et Varius, Mæcenas Vergiliusque prohet hæc *Octavius optimus atque Fuscus*.» De tempore epigramma scriptum videtur, cf. infra adn. ad vs. 12.

V. 1—4. *Quocunq; ire ferunt variae nos templa* cf. Hor. Carm. I. 7, 25—26: «Quo nos cunque ferunt, volunt: ferunt, Fortuna parente, Ibimus.» — *ferunt, volunt: ferunt*, ut Verg. Aen. II. 34: «Trojæ sic fata ferebant.» — *varias fortunæ vicissitudines referendum*. — *Dispuerit mihi carior alter*, ex Catull. Carm. 92: «La-

semper male nec taceat unquam De me: Lesbia me *dispeream nisi amat*. Quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam Assidue, vero *dispeream nisi amo.* — fuerit, erit. — Alter enim qui te dulcior esse potest, in interrogatione qui alter (non quis), ut Plaut. Amph. 153: «qui me alter est audacior homo?» et ibid. 1046: «qui me alter vivit miserior?»

V. 5—8. *Cum iuveni ante alios divi divumque sorores Cuncta... dedere bona*, ut Catalept. (Pseudoverg.) IX. 21—22: «Certatim ornabant omnes heroida divi, Certatim divae munere quæque suo.» — *divi divumque sorores*, dii deæque; sunt enim omnes dii inter se aliquo cognationis vinculo coniuncti. Similiter Plaut. Pers. II. 4, 27: «Ut istunc di deæque perdant» et Terent. Heaut. IV. 6, 6: «Ut te omnes di deæque perduint.» Cf. Ovid. A. A. I. 27: «Clio Cliusque sorores.» — *Cuncta neque indigno... dedere bona*, ut Catal. (Pseudoverg.) IX. 39: «Multa, neque immeritis donavit præmia alumnis.» — *Musa vs. 6. ex edit. Aldina a. 1517; codices habent: multa.* — *Phœbi chorus*, Musæ, ut Verg. Ecl. VI. 66: «Phœbi chorus... omnis.» — *fuisse, poetice pro esse.*

V. 9—12. *iucundior*, pro adverbio. — *Clio nam certe candida non loquitur, supple: iucundior*; i. e. ne Clio quidem iucundius loqui potest, quam Octavius in scriptis suis. Cf. Cic. Orat. 19, 62: «Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt»: Horat. Ep. II. 1, 26—27: «Pontificum libros, annosa volumina vatum Dictitat Albano Musas in monte locutas»; Quintil. Inst. Or. X. 1, 99: «Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent.» — *Clio*, ponitur pro Musis. — *candida*, ad fulgorem divini corporis referendum, ut Verg. Ecl. 5, 56. (de Daphnide in deum mutato): «Candidus insuetum miratur limen Olympi... Daphnis» et Aen. VIII. 138: «candida Maia»; Tibull. (Lygdam.) III. 6, 1: «Candide Liber.» — *Quare illud satis est, si te permittis amari*, ex Catull. 68, 147—148: «Quare illud satis est, si nobis is datur unus. Quem lapide illa diem candidiore notet.» — *Nam contra ut sit amor mutuus*, ex Catull. 76, 23: «Non iam illud quero, contra ut me diligit illa.» Eodem modo dicitur: *contra amare*, i. e. mutuo amore amare aliquem. — *contra*, i. e. ex altera parté, ex tua parte. — *unde mihi, supple: petam causam*, i. e. ego nulla virtute mereor

a te, illustrissime scriptor, mutuo amore amari. Scripsit certe hæc verba modestissima Vergilius adolescentulus, et in poesi tiro, priusquam Bucolicis editis æternam sibi famam peperisset. Ad ellipticam locutionem cf. Hor. Sat. II. 5, 102: «unde mihi tam fortem tamque fidelem?» (sc. quæram amicum) et ibid. II. 7, 116: «unde mihi lapidem» sc. petam.

V. A rhetorica ad philosophiam.

Vergilius valedicit scholæ rhetoriciæ, ut se totum philosophiæ Epicureæ studio dedat. Scripsit igitur hoc carmen adolescentulus.

V. 1—2. *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullæ. Inflata more non Achaico verba*, rhetorum Asiaticorum, quorum multi erant apud Romanos sectatores, inanem tumorem carpit; cf. Cie. Or. 69, 230: «apud alias autem et Asiaticos (sc. oratores) maxime numero servientes inculcata reperias *inanis* quedam *verba* quasi complementa numerorum»; Suet. Aug. 86. (Augusti epistula ad Antonium): «An potius Asiaticorum oratorum *inanis* sententiis verborum *volubilitas* in nostrum sermonem transferenda?»; Quintil. Inst. Or. XII. 10, 16: «Et antiqua quidem illa divisio inter Atticos atque Asianos (sc. oratores) fuit, cum hi pressi et integri, contra *inflati* illi et *inanes* haberentur.» — *inanes... ampullæ*, inanem orationis tumorem significat, ut Graece λιπόθοντος; cf. Cie. Ad Att. I 14: «totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere — nosti illas λιπόθοντος — valde graviter pertexuit»; Hor. Epist. I 3, 14: «An tragica desævit et *ampullatur* in arte.» — *Inflata... verba*, appositio iungenda cum *inanes ampullæ* (vs. 1.); locum respxisse videtur Hor. A. P. 97: «Proicit *ampullas* et sesquipedalia *verba*.» — *more non Achaico*, non Greco, non Attico, sed Asiatico; cf. Cic. Orat. 8, 27: «Quonam igitur modo audiatur Mysus aut Phryx (sc. orator) Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Cum vero inclinata ululantique voce *more Asiatico* canere coepisset, quis eum ferret aut potius quis non iuberet auferri?» et ibid. 69, 230: «fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles et Menecles minime mea sententia contempnendi. Etsi enim a forma veritatis et ab Atticorum regula

absunt* etc. — *more*, ex mea coniectura; codices habent *rhorso* aut *rhoso*, edit. Aldina a. 1517: *rore*.

V. 3—5. *Selige Tarquitique Varroque*, rhetores, quos eo tempore libenter audiebat iuventus studiosa. — *Selige*, nomen ex corruptelis codicum ab Ellisio restitutum. Selium quendam, oratorem malum, commemorat Cie. Ad Fam. VII. 32, 2: «sit vel *Selius* tam eloquens, ut possit probare se liberum.» — *Tarquitique*, nomen ex corruptelis codicum ob Hauptio restitutum. Etiamsi vera est haec coniectura, non est de Tarquitio Prisco cogitandum, qui teste Macrob. Saturn. III. 7, 2. et 20, 3. de disciplina divinandi Etrusca scripsit, sed de rhetore quodam obsecro. — *Varroque*, non celeberrimus ille Varro Reatinus, sed alter Varro, rhetor quidam malus. — *Scholasticorum natio*, ut Plaut. Men. 258: «haec hominum natio»; Cie. Nat. Deor. II. 74. (de Epicureis): «vestra natio.» — *Scholasticorum*, magistri eloquentiae, rhetores. — *madens pingui*, intellegendi sunt Asiaticæ sectæ rhetores, qui opimum et tamquam adipatum (i. e. iusto copiosius) dicendi genus sequebantur; cf. Cie. Orat. 8, 25: «Itaque Caria, Phrygia et Mysia, quod minime politæ minimeque elegantes sunt, asciverunt aptum suis auribus *opimum* quoddam et tamquam *adipatae* dictionis genus, quod eorum vicini non ita late interiecto mari Rhodii nunquam probaverunt»: Cie. De optim. gen. 3, 8: «illos potius (imitemur), qui incorrupta sanitate sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos, quorum vitiosa *abundantia* est, quales Asia multos tulit.» Quintil. Inst. Or. II. 10, 6: «impleat se declamator aliquando, dum sciat, ut quadrupedes, cum viridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractione curantur et sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt: ita sibi quoque *temuandas adipes*, et quidquid humoris corrupti contraxerit, emitendum, si esse sanus ac robustus volet. Alioqui *tumor* ille *ianis* primo cuiusque veri operis conatus deprehendetur.» — *madens*, tumens, abundans, plena, referta, ut Hor. Carm. III. 21, 9—10: «Socraticis madet Sermonibus» et Martial. VII. 69, 2: «Cuius Cecropia pectora voce madent.» — *pingui*, pro substantivo: adipe, ut Verg. Ge. III. 124: «denso distendere pingui.» — *inane cymbalon iuventulus*, quorum sonora, sed inani eloquentia delectatur iuventus artis rhetoricae studiosa. *Cymbalon* est instrumentum musicum sonorum ex aere

cavato, unde *inane*; significat igitur hoc loco τοῦ λόγου κύρπων rhetoribus Asiaticis proprium; cf. Plutarch. Anton. 2. (de eloquentia Antonii): ἔχοτα δὲ τῷ παλαιοτέρῳ μὲν Ἀσιανῷ ζῆλῳ τῶν λόγων... ἔχοντες δὲ πολλὴν ὄμοιστητα πρὸς τὸν βίον αὐτοῦ καὶ μπάθη ται φρυαγματίαν ὄντα καὶ πενθό γαρύπατος καὶ φιλοτιμίας ἀνωμάλου μετέτοντες et Plin. N. H. pref. 25: «Apion quidem grammaticus... quem Tiberius Cæsar *cymbalum mundi* vocabat, cum propriæ famæ tympanum potius videri posset.» — *inane*, ex coniectura Heinsii; *inani*: codices.

V. 6—7. *mearum cura*, *Serte, curarum...* Sabine, Sextus quidam Sabinus videtur fuisse condiscipulus Vergilii in schola rhetorica carissimus. — *mearum cura...* curarum, mea maxima cura; cf. Hor. Sat. I. 3, 186: «magnorum maxime regum» et Epist. I. 1, 107: «rex denique regum.» — *formosi*, iuvenes pulchri, poetæ condiscipuli.

V. 8—10. *Nos ad beatos vele mittimus portus*, est enim philosophia Epicuri ars bene beatæque vivendi. Cf. Lueret. V. 11—12. (de Epicuro): «*Fluctibus e lantis* vitam tantisque te-nebris In tam *tranquilla* et tam clara luce locavit»; Cie. Ad Fam. VII. 31: «se in philosophie portum conferre; Lucian. Hall. 29: ἐν ζάλῃς καὶ πλόδωνος εἰς εῦδίον τινὰ λιμένα σπύσας ἵπτη τὰ σὰ παλά, ὁ Φιλοσοφία, ὅμηρος ἡτούν. — *vele mittimus*, emittimus, ut equos e carcere circi; cf. Ov. Am. III. 2, 9—10: «de carcere missis... equis» et Ex Pont. IV. 14, 9: «In medias Syrtes, medium mea vela Charybdim Mittite»; Verg. Aen. VI. 1: «classique immissit habenas.» — *Magni...* *docta dicta* *Sironis*, philosophi Epicurei tunc Romæ docentis, cuius discipulus fidelissimus factus est poeta, ut Serv. ad Ecl. VI. 13. et ad Aen. VI. 264. testatur. Cf. Cie. De fin. II. 35, 119. (de philosophis Epicureis): «Familiares nostros, credo, *Sironem* dicis et Philodemum, cum optimos viros, tum homines *doctissimos*.» — *docta dicta*, ut Plaut. Trin. 380: «Multa ego possum *docta dicta* quamvis facunde loqui.» — *Vitamque ab omni vindicabimus* *cura*, cf. Verg. Ge. II. 490—492. (de philosophia Epicurea): «Felix, qui potuit rerum cognoscere causas atque *metus omnes* et inexorabile fatum Subiecit pedibus»; Cie. De fin. I. 18, 57. (de disciplina Epicuri): «O praelaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Cum enim certe nihil homini

possit melius esse quam vacare *omni dolore et molestia* perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus. videtisne, quam nihil prætermittatur, quod *vitam* adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur.»

V. 11—14. *Itē hinc, Camenae*, ergo etiam arti poeticae valedicere vult. — *ite iam sane*, cum imperativo coniunctum *sane*, ut Terent. Heaut. III. 3, 27: «abi sane istac» et Adelph. IV. 2, 48: «i sane»; Plaut. Stich. V. 4, 14: «abi tu sane.» — *ite iam*, scripsit Buecheler; codices *iam ite*. — *nam fatebimur verum*, ut in Ciri Pseudoverg. vs. 55: «Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum.» — *Dulces fuitis*, summo igitur studio Vergilius adulescentulus poesi deditus erat. Cf. in Ciri Pseudoverg. vss. 10—11: «In quo iure meas utinam requiescere Musas Et leviter blandum liceat deponere amorem.» — *pudenter*, pñnitet enim poetam lasciva in modum Catulli carmina scripsisse. — *raro*, ne studium philosophiae, quod Vergilio nunc summi est momenti, turbetur.

VI. In Atilium et Noctuinum.

Ante hoc epigramma scriptum est Catalept. XII.; agitur enim ibi de nuptiis Noctuini et filie Atilii, hic autem idem Noctuinus iam gener est Atilii eiusdem. De tempore scribendi cf. adn. infra ad vs. 3: «*puella talis*.»

V. 1—2. *Socer*, Atilius infra carm. XII. 5. commemoratus. — *beate nec tibi nec alteri*, qui divitiis tuis nec tibi nec genero profuisti; Atilius enim una cum genero patrimonium consumpsit, ut infra vs. 6. docemur: «Gener socerque perdidistis omnia.» — *beate*, ad divitias referendum. — *nec tibi nec alteri*, proverbialis locutio fuisse videtur; cf. Cie. De off. II. 10, 36: «Quam ob rem, u[er]o ante dixi, contemnuntur ii, qui «*nec sibi nec alii*» (sc. prosunt), ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.» — *Generque Noctuine, putidum caput*, de quo infra XII. 1: «*Superbe Noctuine, putidum caput*; utrobique ex Calv. fragm. 3. (ed. Lucian. Mueller): «*Sardi Tigelli putidum caput venit.*» — *putidum caput*, putidus homo, i. e. fastidium creans; eodem sensu Catull. 98, 1: «*putide* Vitti.»

V. 3—6. *Tuoque nunc puella talis et tuo Stupore pressa*

rus abibit, i. e. postquam socer generque stultitia sua patrimonium consumpserunt, uxor Noctuini cogitur una cum patre et marito, quibus ad vitam urbanam sumptus non sufficiunt, rurabire. — *tuoque nunc... et tuo Stupore*, vestrum utriusque stultitia. — *puella talis*, femina pulchra; videtur uxor Noctuini Vergilio iuveni plaeuisse, quare eam ruri se abdere dolet. — *pressa*, oppressa, coacta. — *ei mihi*, exclamatio doloris. — *ei*, coniecit Haupt; codices: *et*. — *Ul*, exclamative positum; cf. Plant. Capt. 416: «ut lacrimas executiunt mihi!» — *Gener socerque perdidistis omnia*, i. e. perdidistis omnia vestra bona et perdidistis omnia mea gaudia; ex Catull. 29, 24. (de Cæsare et Pompeio); «Socer generque perdidistis omnia.»

VII. Ad Varium.

Ad L. Varium Rufum, poetam Augustei temporis clarissimum, amicum Vergilii intimum, qui post mortem eius una cum Tucca Aeneidem edidit. De tempore scribendi nihil constat.

V. 1—4. *Scilicet*, hoc loco idem fere significat, quod: certe. — *sine fraude*, vere, ingenue. — *Dispeream nisi me perdidit iste putus*, ut Catull. 92, 2: «*dispeream nisi amat*» et 92, 4: «*dispeream nisi amo.*» Cf. supra IV. 3: «*Dispeream si te fuerit mihi carior altero*» et adn. ad h. 1. — *me perdidit iste putus*, amore me incendit hic puer. Cf. Donat. Vit. Verg. p. 56. (ed. Reifferscheid): «libidinis in pueros pronioris» se fuit Vergilius. — *putus*, restituit Scaliger; codices *pothus* aut *potus*. *Putus* vox vulgaris fuisse videtur; significat *pustonem*; cf. Corp. glossar. Lat. II. 165, 43: *puti, p̄z̄p̄t̄*; 165, 45: *putus, p̄z̄p̄t̄*. Syllaba eius prima longa est, ut in vocibus *pūsus* et *pūsio*; quare hoc petitametri loco apte poni non potest, unde iocus. Similiter iocatur Ovidius Ex Pont. IV. 12, 9—12. (de nomine Tūticāni poetæ): «*Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur, Artius adpellem Tūticānumque vocem:* Noe potes in versum Tūticāni more venire. Fiat ut e longa syllaba prima brevis.» — *præcepta*, sc. præcepta metri et urbanitatis; est enim vox *putus* ex vulgari sermone petita.

VIII. In villam Sironis.

Scripsit hoc epigramma Vergilius anno a. Chr. n. 41., quo tempore agri Mantuani inter veteranos distribuebantur, ut ex vs. 4. elucet.

V. 1—6. *Villula, quae Sironis eras, videtur igitur Vergilius villam aut a Sirone ipso aut a possessore quodam posteriore emisse aut conduxisse, ut refugium esset sibi et suis agro paterno depulsis.* — *Sironis*, cf. adn. supra ad V. 9. — *Verum illi domino tu quoque divitiae, utpote philosopho Epicureo parvis contento.* — *Me tibi et hos una mecum, quos semper amavi, Commendo*, ut Catull. 15, 1: «Commendo tibi me ac meos amores.» — *quos semper amavi*, i. e. meam familiam. — *Si quid de patria tristias audiero*, i. e. si veterani agros meos re vera occupaverunt; scripsit igitur Vergilius hoc procul a patria. — *de patria*, de urbe patria, Mantua. — *Commendo imprimisque patrem*, cf. Cie. Ad fam. XIII. 68: «Curabo imprimisque tuebor fratrem tuum», ibid. 30: «Omnia eius tibi commendo imprimisque ipsum virum.» — *imprimisque patrem, qui tunc aetate iam confectus fuisse videtur*. Vergilius teste Donato (p. 58. ed. Reifferscheid) parentes iam grandis amiserat, patrem quidem captum oculis. — *tu nunc eris illi, Mantua quod fuerat quodque Cremona prius*, pater igitur Vergilius et Mantuae et Cremonae agrum aut villam habuit.

IX. In Messallam.

Hanc elegiam, Ovidio puero fortasse tribuendam, commentario exegetico instruxi in libello meo *De Ovidio elegiae in Messallam auctore* (Budapestini, sumptibus Academiae Litterarum Hungaricæ, a. 1909). Hoc loco additamenta quædam.

V. 34. *Iamitem expertae fulmine et imbre Iovem*, cf. Verg. Aen. XII. 144: «Iovis ingratum . . . cubile.»

V. 51. *Nunc celeres Afros, periurae milia gentis*, in commentario meo (p. 20.) hæc scripsi: «Corruptum videtur; non enim Afri (i. e. Numidae), sed Pœni erant perfidia infames.» Sed contra Birt rectissime adulit Salvian. 7, 57: «in Afris pæne omnibus nescio quid non malum; si accusanda est in-

humanitas, inhumani sunt . . . si falsitas, fallacieissimi, si dolus, fraudulentissimi»; in *Expositione totius mundi* (Riese: Geogr. Lat. p. 123.): «dolosi enim . . . esse dicuntur (sc. Afri), alia quidem dicentes, alia autem facientes»; Procop. Bell. Vand. II. 8. (de Maurusiis): μέλει γάρ αὐτοῖς οὐτε ὄρκον οὐτε δημόσιον.

X. In Sabinum.

In Sabinum quandam Cremonensem (cf. vs. 12.), qui ex mulione magistratus curulis factus est et imaginem suam, ubi conspiciebatur in sella eburnea sedens (cf. vss. 24—25.), templo Castorum dedicavit. In hanc imaginem composuit Vergilius carmen satiricum, parodiam lepidissimam carminis IV. Catulliani, tamquam inscriptionem doni illius votivi. Profectum videtur a Vergilio iuvene, imitationi Catulli omni cura dedito. Parodiam hanc optime interpretatus est Birt, quem nos quoque in plurimis rebus sequimur ducem.

V. 1—2. *Sabinus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse mulio celerrimus*, ex Catull. IV. 1—2: «Phaselus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse navium celerrimus.» — *quem videtis, cuius simulacrum in templo Castorum videtis*. — *hospites*, qui templum Castoris et Pollucis infra vs. 26. commemoratum visitant. — *Ait fuisse mulio celerrimus*, nominativus c. inf. ad normam Graecæ constructionis.

V. 3—5. *Neque ullius volantis impetum nisi Nequisse præterire, sive Mantuum Opus foret volare sive Brixiam*, ex Catull. IV. 3—5: «Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse præterire, sive palmulis Opus foret volare sive linteo.» — *cisi, cisum est currus levis duabus rotis instructus*. — *Mantuanus . . . Brixiam*, oppida vicina Cremonæ, ubi mulio stationem habebat, ut infra ex vss. 12. sqq. elucet.

V. 6—7. *Et hoc negat Tryphonis aemuli domum Negare nobilem insulamve Caeruli*, ex Catull. IV. 6—7: «Et hoc negat minacis Adriatici Negare litus insulasve Cycladas.» — *Et, ex Catullo rectissime restituit Scaliger; codices: Neque. — Tryphonis aemuli, qui aemulus Sabini erat in mulis agendis, postea autem dives factus est, unde: domum nobilem. — insulamve Caeruli*, i. e. aedes Cremonenses (cf. vs. 12. sqq.) Cæruli eiusdem, cuius

mulio (cf. vs. 8.) erat olim Sabinus. — *insulamve*, cf. Paul. Fest. s. v. *insulæ* (p. 79. ed. Thewrewk); «Insulæ dictæ proprie (ædes), quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis circumituque publico aut privato cinguntur; a similitudine videlicet earum terrarum, quæ in fluminibus ac mari eminent.»

V. 8—11. *Ubi iste post Sabinus, ante Quintio Bidente dicit attodisse forcipe Comata colla, ne Cytorio iugo Premente dura vulnus ederet iuba*, pro his quattuor versibus tres tantum habet Catull. IV. 10—12: «*Ubi iste post phaselus antea fuit Comata silva: nam Cytorio in iugo Loquente saepè sibilum edidit coma.*» — *Ubi*, sc. in insula (immo in stabulis) Cæruli, cuius mulio erat. — *post Sabinus, ante Quintio*, i. e. postquam mulio dives factus est, magistratum petiturus depositus nomen pristinum et Sabinum se nominavit. Sabinum quendam suspecti cognominis commemorat Cie. Epist. ad fam. XII. 20. 1. (ad Trebonium): «*Oratorem meum Sabino tuo commendavi: natio me hominis impulit, ut ei recte putarem, nisi forte cauditorum licentia hic quoque usus subito cognomen arripuit, etsi modestus eius vultus sermoque constans habere quiddam ex Curibus videtur: sed de Sabino satis.*» — *Bidente... forcipe*, sive forcipe: cf. Ciris Pseudoverg. vs. 213. (de forcipe): «*Ferroque manus armata bidenti*» et Varr. Sat. Menipp. 246: «*detotonderat forcipibus.*» — *attodisse, ἀπαξ εἰρηνέων* pro solito *attollisse*; ex lingua vulgari petitum videtur metri (iambi puri) causa. — *Comata colla*, sc. mularum; cf. Verg. Aen. XII. 86. (de equis): «*colla comantia.*» — *ne Cytorio iugo Premente dura vulnus ederet iuba*, i. e. ne onere iugi depressa iuba collum mulæ attritu exulceraret. — *Cytorio iugo*, ingum ex buxo factum; nam Cytorus, mons Paphlagoniae, abundabat buxis. Cf. Catull. IV. 13: «*Cytorum buxifer*» et Verg. Ge. II. 437: «*undantem buxo... Cytorum.*» — *Cytorio*, restituit Michly ex Catull. IV. 11.; in codice Bruxellensi: *quid orion.* — *vulnus ederet*, insolenter dictum propter Catull. IV. 12: «*sibilum edidit.*» Birt confert: cædem edere, prelium edere.

V. 12—15. *Cremona frigida et lutosa Gallia, Tibi haec fuisse et esse cognitissima Ait Sabinus: ultima ex origine Tua stetisse dicit in voragine*, ex Catull. IV. 13—16: «*Amastri Pontica et Cytorum buxifer, Tibi haec fuisse et esse cognitissima Ait*

phaselus: ultima ex origine Tua stetisse dicit in cacumine.» — *Cremona*, ubi erat insula Cæruli illius, cuius mulio erat olim Sabinus. — *lutosa Gallia*, Gallia Transpadana paludibus abundans. — *ultima ex origine Tua stetisse dicit in voragine*, i. e. non solum Sabinus, sed tota eius gens Cremonensis erat. Cf. Corn. Nep. Attic. 11: «*ab origine ultima stirpis Romanae generatus.*» — *dicit*, restituendum ex Catullo; codices: *ultima*, quod ex vs. 14. irrepit. — *voragine*, palude, luto, ut Catull. XVII. 26: «*Ferream ut soleam tenaci in voragine mula*» sc. reliquit.

V. 16—19. *Tua in palude deposisse sarcinas Et inde per tot orbitosa milia Iugum tulisse, laeva sive dextera Strigare milia sive utrumque coeperal, excedit vs. 20.*, ut ex Catull. IV. 17—21. elucet: «*Tuo imbuisse palmulas in æquore Et inde tot per impotentia freta Erum tulisse, laeva sive dextera Vocaret aura sive utrumque Iuppiter Simul secundus incidisset in pedem*», ubi versui ultimo nihil nunc respondet apud Vergilium. — *Tua in palude deposisse sarcinas*, i. e. si mulæ strigare ceperant in via paludosa (lutosa), sarcinas de carro depositus easque umeris ipse portavit mulio. — *deposisse*, i. e. *depositisse*; hanc verbi formam rectissime restituit metri (iambi puri) causa Scaliger; codices: *depositisse*. Cf. Catull. XXXIV. 7—8: «*Quam mater prope Deliam Depositivit olivam*»; Corp. Inser. Lat. I. 1009: «*depositierunt.*» — *inde*, sc. a palude. — *orbitosa*, nam in via frequentata multæ sunt orbitæ. — *milia*, sc. passuum. — *Iugum tulisse*, non iugum mularum, sed iugum illud onerarium, quod homines umero suspendere solebant, ut eius ope onera portarent; cf. Varr. De re rust. II. 2, 10. — *Strigare*, proprie de iumentis, quæ inter arandum conquiescent; cf. Plin. N. H. XVIII. 227.; hoc loco de mulis, quæ in via lutosa carrum trahere recusant. — *utrumque*, nihil habet, ad quod referatur; excidit enim vs. 20.

V. 21—23. *Neque ulla vota semitalibus deis Sibi esse facta praeter hoc novissimum, Paterna lora proximumque pectinem*, ex Catull. IV. 22—24: «*Neque ulla vota litoralibus deis Sibi esse facta, cum veniret a mari Novissime hunc ad usque limpidum lacum.*» — *Neque ulla vota... Sibi esse facta*, non erat enim opus votis, cum omnia prospere cederent. — *semitalibus deis*, Laribus vialibus, viarum et viatorum patro

nis; cf. Corp. Inser. Lat. XI. 3079: «Laribus compitalibus, vialibus, semitalibus.» — *facta*, restituerunt editores ex Catullo; codices: *sancta*. — *praeter hoc novissimum*, sc. votum. — *Paterna lora proximumque pectinem*, cum Sabinus mulio esse desiit, artis suae instrumenta more veterum diis dedicavit. — *Paterna lora*, a patre sibi relieta. — *proximumque pectinem*, epitheton quid sibi velit, explicari nequit. Pro *proximum* seribendum fortasse cum Salmasio *buxinum*; nam pecten erat plerumque ex buxo factus et *buxus* pectinem significat apud Ovid. Fast. VI. 229, et Iuvenal. XIV. 194. — *pectinem*, quo mulas pectebat; cf. Verg. Aen. XII. 85—88. (de equis): «Circumstant properi aurigæ . . . et colla comantia pectunt.»

V. 24—26. Sed haec prius fuere: nunc eburnea Sedetque sede seque dedicat tibi, Gemelle Castor et gemelle Castoris, ex Catull. IV. 25—27: «Sed haec prius fuere: nunc recondita Senet quiete seque dedicat tibi, Gemelle Castor et gemelle Castoris.» — *eburnea Sedetque sede*, non esse necessario de magistratu Romano cogitandum rectissime monuit Birt; nam etiam magistratus municipales sella eburnea utabantur (cf. Mommsen: *Staatsrecht* I. 383. et 385.) neque poeta ad res Romanas usquam alludit. Potuit esse Sabinus duovir municipii eiusdem Transpadani. — *segue dedicat*, imaginem suam, ubi conspiciebatur in sella aburnea sedens. — *Gemelle Castor*, Birt de templo Castorum haud procul a Cremona sito cogitandum censem. Cf. Tac. Hist. V. 24. et Suet. Oth. 9.

XI. In mortem Octavii Musæ.

De Octavio Musa cf., quæ supra commentario carminis IV. præmisimus. Si Octavius ab Horat. Sat. I. 10. vs. 82. inter vivos commemoratus idem est atque Octavius Musa, epigramma hoc non est ante annum 36. aut 35. scriptum, quo tempore Horatius Satir. I. 10. composuit.

V. 1—4. *Quis deus*, etc., vss. 1—4 ex Callimachi epigrammate (Anth. Pal. VII. 725.):

Ἄντις, καὶ οὐ γάρ ὁδε, Μενέκρατες, οὐδὲ ἐπὶ ποὺλο
Ἡσθα . . . τί σε, ζείων λῆστρε, κατειργάσασθο;
Ὕπα τὸ καὶ Κένταυρον; ὃ μοι πεπρωμένος ὅπνος
Ἡλθεν, ὃ δὲ πλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

— *Quis deus . . . te nobis abstulit?* an quæ *Dicunt*, a, *nimio pocula dura mero*, similiter Propert. I. 12, 9—20; «num me deus abstulit? an quæ Lecta Promethois dividit herba iugis?» — *an quæ dicunt*, supple: te abstulisse, scilicet *pocula*. Fama enim erat Octavium propter intemperantem vini usum esse mortuum. — *a*, exclamatio doloris. — *nimio pocula dura mero*, cf. Ov. Trist. III. 5, 48: «Lapsaque sunt nimio verba profana mero» et ibid. II. 446: «Sed linguam nimio non tenuisse mero.» — *nimio . . . mero*, abl. instr.: *pocula* te abstulerunt nimio mero. — *pocula dura*, crudelias, quia Octavium præmatura morte abripiuerunt; cf. Tibull. II. 3, 61: «*dura* (i. e. crudelis) seges, Nemesim quæ abducis ab urbe.» — *Vobiscum* etc., vss. 3—4. continent Octavii responsum. — *Vobiscum*, si est *culpa*, *bibi*, i. e. etiamsi culpa est, quod *bibi*: *vobiscum* una *bibi*, amici, non solus, neque intemperantius, quam *vos*. Non igitur vinum me abstulit, sed fatum inevitabile. — *culpa bibi*, ex conjectura Hauptii; codices habent: *culpabile* aut *culpabili*. — *sequuntur*, persequuntur. — *immerili . . . cyathi*, non sunt igitur *pocula dura* (vs. 2) i. e. crudelias. — *crimen* *habent*, accusantur; eodem sensu Tibull. I. 6, 41: «ne possit crimen habere.»

V. 5—8. *nos*, sc. amici Octavii. — *Romanam flebimus historiam*, Octavius historiam siam Romanam ad finem nondum perduxisse videtur. — *Perversi . . . Manes*, quia præmatura morte, tamquam contra legem naturæ, rapuerunt Octavium iuvenem. — *Perversi*, interdum idem fere significat, quod *improbus* et *invidiosus*; cf. Verg. Ecl. III. 13—15: «quæ tu, *perverse* Menalea, Et, cum vidisti puero donata, dolebas. Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses» una cum Theocr. V. 12: τὸ δὲ ὄντος (= *perverse*), τόντος βάσκαντον. — *Manes*, di inferi, Orcus; cf. Horat. V. 4, 16: «lam te premet nox fabulæque Manes.» — *Hunc superesse patri quac fuit invidia*, cur fuit vobis invidiae hunc iuvenem patri superesse. Manes saepe vocantur invidi in carminibus sepulcralibus; cf. Anth. Pal. VII. 13. (in sepulcrum Erinnæ præmatura morte abreptæ): Βάσκαντος ἔστι· Αἰδα. — *superesse patri*, superstitem esse; eodem sensu Liv. I. 34, 2: «patri superesse.» Cf. Plaut. Asin. 16: «vis superesse tuum gnatum vitæ tuæ superstitem.» Mortuus est igitur Octavius contra legem naturæ ante patrem.

XII. In nuptias Noctuini.

Ad hoc epigramma cf., quæ supra commentario carm. VI. præmisimus.

V. 1—2. *Superbe Noctuine, putidum caput*, cf. adn. supra ad VI. 2: «Generque Noctuine, putidum caput.» — *Datur tibi puella, quam petis*, puella Atilii, divitis hominis; cf. adn. supra ad VI. 1: «Socer beate nee tibi nec alteri.»

V. 6. *Duas, et hanc et alteram, tibi dari*, habuit igitur Atilius preter sponsam Noctuini filiam alteram, fortasse ita corruptis moribus, ut eam sororis pelicem fore verisimile esset.

V. 7—9. *Adesle nunc, adeste*, poeta convocat homines, ut huie pompa nuptiali adessent. — *ducit...* *Superbus ecce Noctuinus herniam*, i. e. duobus feminis satisfacere conans rumpet ilia fietque herniosus; cf. Catull. 11, 19—20. (de Lesbia): «Nullum amans vere, sed identidem omnium Ilia rumpens» et 80, 7—8: «clament Victoris rupta miselli ilia.» — *ducit... herniam*, i. e. non solum uxorem ducit, sed etiam herniam. *Ducere* = accipere, ut dicitur: ducere cicatricem. — *herniam*, corredit Scaliger; codices: *hirneam*. Eodem modo infra XIII. 39. legitur in codicibus *hirneosi pro herniosi*. — *Talassio, Talassio, Talassio*, vel: *Talasio*. In codicibus bis ponitur; sed ter scribendum esse docemur testimonio Marii Victorini p. 137, 24. K.: «Repetitum ter haud aliter, quam ut aiunt fecisse Vergilium nosirum iambico epigrammate: *Thalassio, Thalassio, Thalassio.*» Erat autem *Talassio* deus nuptialis apud Romanos, cuius nomen clamari solebat tum præcipue, cum nova nupta intravit domum mariti. Altera vocis forma, *Talassius*, occurrit casu dativo apud Catull. 61, 133—134: «lubet iam servire *Talassio.*»

XIII. In Luccium.

Hunc epodum commentario exegético instruxi Horatioque vindicare studui in libello meo *De epodo Horatii Cataleptis Vergili inserto* (Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, a. 1908.). Hoc loco additamenta quedam ad illum commentarium publici juris facio.

V. 25. *sordido*, ita codices; in commentario meo conieci

turbido tautologie (cf. infra vs. 28: *sordidas*) evitandæ causa, quod mihi nunc supervacuum esse videtur.

V. 27. *Neque in culinam et uelta compitalia*, culina, ut Birt rectissime monuit, hoc loco *popinam* significare videtur, ubi cinædus convivia celebrare solebat cum hominibus ex infima plebe; *uncta compitalia*, convivia compitalia: erant enim compitalia festum agricolarum post finitos labores agrestes in honorem Larum compitalium feriis conceptivis a prætore indictis celebratum brevi post Saturnalia tempore, quo festo servi eadem, qua Saturnalibus, libertate gaudebant cibisque vescebantur solito pingnioribus, i. e. *uentis*. Talibus igitur conviviis interesse solebat cinædus. Quæ in commentario meo ad *culinam* adnotavi et conjecturam meam ibidem expositam (*ad ucta novendalia pro: et uelta compitalia*) nunc iam non probo a Birtio meliora doctus.

V. 32. *Spissisque*, ex mea conjectura; cf. Petron. 31, 1: «spississima basia impegit.» Codex Bruxellensis habet: *osiculisque*, Helmstadiensis: *osusque*, Arundelianus et Rehdigeranus: *hos-susque*. In commentario meo recepi Bæhrensi conjecturam: *uidisque*, quam nunc reicio; longe enim recedit a codicium scriptura.

V. 35. *Lucei*, hoc nomen, quod legitur in codice Bruxellensi, retinendum rectissime censet Birt; nam nomen gentilicium *Luccius* occurrit Corp. Inser. Lat. VI. 8639; XIV. 2408; V. 2647, et Tacit. Ann. XVI. 14. Unde tamen hunc *Luccium* non esse eundem atque *Pediatum* Horatii (Sat. I. 8, 39.) nondum sequitur: poterat enim *Pediatius* cognomen esse *Luccio*. — *iam tuæ liquere opes*, ex conjectura Buecheleri Mus. Rhen. tom. 38. p. 520. Codex Bruxellensis habet: *Cine dulci simus et liquere opes*, Monacensis et Helmstadiensis: *Cinae dulcisimam et liquere opes*.

XIV. Ad Venerem.

Epigramma hoc pulcherrimum scripsit Vergilius, postquam per longum tempus Aeneidi scribenda operam dedit. Cf. adn. infra ad vs. 4: «lam tandem» et ad vs. 11: «tuus te Cæsar.»

V. 1—4. *Si mihi susceptum fuerit decurrere munus*, ut

Verg. Ge. II. 39: «Tuque ades incepsumque una decurre laborem»; cf. Cir. Pseudoverg. vs. 9: «Non tamen absistam cœptum detexere munus.» — *Si mihi... fuerit*, contigerit; cf. Tibull. I. 6, 24: «Tunc mihi non oculis sit timuisse meis» et IV. 3, 3: «Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes»; Sil. Ital. XII. 695: «fuerit delere Saguntum.» — *susceptum... munus*, Aeneis. — *decurrere*, ad finem perducere; imago a certamine currum ducta. — *O Paphon, o sedes quæ colis Idalias*, Venus, cuius gratissimæ sedes erant in Cypro Paphus et Idalium; ex Catull. 36, 12—14: «Quæ sanctum Idalium Uriosque apertos Quæque Ancona Cnidumque arundinosum Colis quæque Amathunta quæque Golgos.» Cf. apud Vergilium ipsum Aen. X. 51—52: «Est Amaththus, est celsa mihi Paphus atque Cythera Idaliaeque domus»; ibid. X. 86: «Est Paphus Idalium, que tibi, sunt alta Cythera»; ibid. I. 681: «Aut super Idalium sacrata sede recondam»; Ov. Am. II. 17, 4: «Quæ Paphon et fluctu pulsa Cythera tenet.» — *Trois Aeneas*, ut Verg. Aen. I. 596. — *Aeneas Romana per oppida digno iam tandem ut tecum carmine vectus eat*, ut Verg. Ge. II. 176: «Ascreumque cano Romana per oppida carmen.» — *digno iam... carmine*, ea qua par est eura perfecto; cf. Vergili epistolam ad Augustum de Aeneide nondum perfecta apud Maërob. Saturn. I. 24, 11: «De Aenea quidem meo, si mehereule iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem.» — *iam tandem*, Vergilius igitur hoc epigramma scripsit, postquam per longum tempus Aeneidi scribendæ operam dedit. — *tecum carmine vectus eat*, velut curru triumphali; translatio audax. Similiter Propert. III. 1, 9—12: «a me Nata coronatis Musa triumphat equis Et mecum in curru parvi vectantur Amores Scriptorumque meas turba secuta rotas.» — *tecum... vectus*, Venus et Aeneas una vehuntur, ut interdum filii triumphatoris una cum patre curru triumphali vehebantur; cf. Liv. XLV. 40, 8. (de filiis Aemilii Pauli): «quos pretestatos curru vehi cum patre sibi ipsis similes prædestinantes triumphos oportuerat»; Tacit. Ann. II. 41. (de triumpho Germanici): «augebat intuentum visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus.»

V. 5—8. *picta... tabella*, quod erat vulgare doni votivi genus. — *puris... manibus*, pure lautis, ut religio postulabat. —

Corniger hos aries, humilis, et maxima, taurus Victima sacrato sparget honore focos, intellege: corniger aries, humilis victima, et taurus, maxima victima sparget hos focos sacrato honore. — hos... focos, poeta in templo Veneris ante aram se vota facere singit. — *humilis*, ultima syllaba in arsi producta. — *et maxima, taurus, victima*, ex Verg. Ge. II. 146—147: «Hinc albi, Clitunne, greges et maxima, taurus, Victima.» — *taurus... sparget honore focos*, ut Cir. Pseudoverg. vss. 524—525: «nam sœpe nitentum Sanguine taurorum supplex resperserat aras.» — *sacrato... honore*, i. e. sacrificio, quod in honorem deorum sacrificatur; hoc loco: sanguis victimæ. Cf. Verg. Aen. XII. 140—141: «hunc illi rex ætheris altus honorem Iuppiter erepta pro virginitate *sacravit*» et ibid. I. 49: «supplex aris imponet honorem.» — *sacrato*, ex conjectura Heinsii; codices: *sacratos*.

V. 9—12. *Marmoreusque tibi, ceu mille coloribus ales, In morem picta stabit Amor pharetra*, agitur de statua marmorea πολυχρόμῳ, ut Verg. Ecl. VII. 31—32. (de statua Diana): «elevi de marmore tota Puniceo stabis suras evineta cothurno.» — *tibi, in honorem tuum*: cf. Theoc. X. 32: Χρόσσοι ἀμφότεροι κ' ἀναγέμψαται τῷ Ἀρρόδητῷ. — *ceu mille coloribus ales*, ut avis versicolor; ales enim Amoris multis coloribus erunt pictæ. — *ceu, coniecit Sabbadini*; codices: *aut.* — *mille coloribus*, ablative qualitatis, ut Verg. Aen. V. 609: «mille coloribus areum.» — *In morem*, ut mos est; iunge cum *picta*. — *stabat*, de statua votiva, ut Verg. Ecl. VI. 31—32: «elevi de marmore... stabis»; cf. Plat. Phœdr. 236 B: σφυρήλατος ἐν Ὁλυμπίᾳ στάθητι; et Hor. Sat. II. 3, 183: «aeneus ut stes.» — *Adsis o Cytherea*, ut Verg. Ge. I. 18: «Adsis o Tegeæ.» — *Adsis*, i. e. venias ad aram, ut vota et preces mens audias; cf. Tibull. II. 2, 5: «Ipse suos adsit Genius visurus honores» et II. 5, 6. (ad Apollinem): «Dum cumulant aras, ad tua sacra veni. — *tuis te Caesar... vocat*, nam non solum poëta, sed etiam Augustus vehementer optabat, ut Aeneis tandem aliquando ad finem perduceretur. Imperator enim teste Donato (Vita Verg. p. 61, 14. ed. Reifferscheid): «cum adversus Cantabros bellum gereret (anno 26. aut 25. a. Chr. n.), supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris efflagitabat, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt, vel prima carminis hypographe vel quodlibet colon mitteretur.» — *Olympos...*

vocat, de Olympo devocat, ut ad sis mihi vota facienti. Poeta preces suas cum precibus Cæsar is coniungit. — *Surrentini litoris ara vocat*, ædem Veneris re vera commemorat titulus Surrentinus Corp. Inscr. Lat. X. 888. Vergilius igitur se in hac æde aram manu tenere (ut mos erat precantium) votaque facere fingit. — *Surrentini*, in Campania haud procul a Neapoli, ubi libentissime morabatur poeta, ut ex Ge. IV. 563—564. eluet. Donatus in Vita Verg. p. 57, 65. (ed. Reifferscheid) eum «secessu Campaniae Siciliæque plurimum» esse usum testatur; prope Nolanum eum prædia habuisse docemur Gell. Noct. Att. VI. 20: «Vergilium petisse a Nolanis, aquam uti duceret in propinquum rus.»

